

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Christian Luckow

**Specimen Inavgrale Physico-Medicvm, Qvo Insecta Medicinalia Ivste
Recensemtv**

Rostochii: Literis Adlerianis, 1799

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002280354>

Druck Freier  Zugang



RU med. 1799

Luckow, Jo. Christ.

SPECIMEN IN AVGVRALE PHYSICO-
MEDICVM,

Q V O

INSECTA MEDICINALIA
IVSTE RECENSENTVR,

PRO IMPETRANDO

IN CELEBERRIMA ACADEMIA ROSTOCHIENSIS

GRADV MEDICINAE & CHIRVRGIAE
DOCTORIS

EXHIBET

IOANNES CHRISTIANVS LVCKOW,
PLAVIA - MEGAPOLITANVS.

ROSTOCHII 1799,

LITTERIS ADLERIANIS.

M. A. 1799

SPECIMEN LIBRARIE LYRICO

MEDICAL

Q. A. O.

INSECTA MEDICINALIA
VITAE RECENSANTUR

Non fingendum aut excogitandum, sed inveniendum,
quid Natura faciat, aut ferat.

OBALDINI OPI

Baco Verulam,

ACADEMIA ROSTOCENSIS

GRADUS MEDICINAE & CHIRURGICAE

DOCTORUM

EXLIBRIS

JOANNES CHRISTIANUS LACROW

PARVATIA - MEGASTOLITANAE

ROSTOCHEM - 1795

LITTERIS ADRESATIVIS

§. 1.

Physicorum tam veterum quam recentium studio
ac labore indefesso cognitio medicamentorum tanta
cepit incrementa, ut eorum corporum naturalium,
quae ad curandas humani corporis imbecillitates a
medicis commendantur, jamjam esse infinitam
copiam jure contendi posse videatur.

§. 2.

Iam vero etiamsi negari nequeat, Entomolo-
giam arti medicae hucusque tam largam non prae-
buisse messem, quam aliae dederunt partes historiae
naturae; tamen de natura et vi medica Insectorum
parum adhuc innotuisse aequa constat ex testimoniosis
eorum virorum fide dignorum, quorum judicium,
vtrum medicamentum aliquod vtile sit, et tuto
possit adhiberi prius ut attendatur necesse est.

A 2

§. 3.

§. 3.

Olim fere vbi vis Insecta haec, quae vernacula nostra εμφατικῶς Vngeziefer dicuntur, ne attentione quidem digna habebantur, nec quisquam in his quasi sordibus naturae salutiferi quid, et eas divinabat virtutes medicas, quas docti jam dudum et in vegetabilibus et in ceteris animalibus detexerant.

§. 4.

Tandem non solum experimentis sive casu sive consilio captis, sed adhibita quoque acutissima indagatione physicas virtutes nonnullorum Infectorum attentius contemplari coeperunt, cuius quidem inquisitionis initium iam fuit tempore Dioscoridis. Atque ut odor et sapor in quibusdam Infectis sine dubio vires medicas indicabant, sic hae sensuum conjecturae et in honorem scrutatoris et in usum artis medicae haud raro experientia corroborabantur. Ita in nonnullis Infectis vires diureticae et stimulantes, in aliis adstringentes nec non resolventes observabantur et pauca remediis absorbentibus, vesican-

vesicantibus et antilysis jure meritoque adnume-
rabantur.

§. 5.

Ego vero quo melius possit quodcunque Medi-
cina hauserit ex Entomologia lucrum animo per-
lustrari, faciam periculum omnia hucusque cognita
Insecta medicinalia secundum Systema Fabricii
enumerare, adjectis annotationibus, si fortasse
majus studium excitare possum haec parum aestimata
animalia in posterum in usum medicinae et humani
generis salutem curatius investigandi et observandi.

§. 6.

Insecta autem sunt animalia polypoda corpore
cute ossea cataphracta tecta, abdome annulato,
poris respirantibus utrinque pertuso capiteque sae-
pius antennis sensoriis articulatis instructo. His po-
sitis characteribus Insectum *Althosti Loxia cardि-*
nalis pertinet ad aves, et id *Pontoppidani Syn-*
gnathus Hippocampus ad pisces, et illud *Lyonetii*
Ostrea

Ostrea edulis ad vermes. Infecta vero *Comedones Kniphofii* tantum abest, vt ad animalia sint referenda vt potius excrementum cutis sebaceum credi debeant.

§. 7.

Ad veri nominis Infecta, quae cum in Medicina tum in Chirurgia notatu digna videntur, pertinet:

Carabus chrysoccephalus *Rossii*.
C. alatus, capite thoraceque auratis, elytris obscure viridibus, pedibus rufis. *Rossi Fauna Etrusca I.*

n. 544.

Rossi l. c. Tab. II. fig. 9.

Habitat in sylvis Italicis sub arborum cortice frequens. Statura C. Crucis majoris Fabricii. Antennae fuscae basi ferrugineae. Caput auratum, nitens ore fusco, palpis subrufis. Thorax obcordatus aureus fulco medio longitudinali posicque puncto vtrinque impressus. Elytra aeneo-viridia, substriata, integra. Abdomen nigro-aeneum. Pedes ferruginei. Monente Hellwigio Carabo amethystino

thyſtino Fabr. non eſt affinis, vt Roffius credere vi-
detur. Hic cursor in Italia ſuperiore ad dentium do-
lores ſedandos vtiliter adhibetur et Gerbi in *Storia
naturale di un nuovo inſetto Fiorenza 1794.* 8.
pag. 17. jam ſufficere aſſirmat dentem vrentem
eo tetigisse digito, quo tactus ſit antea carabus.

§. 8.

Carabus cupreus Fabr.

C. alatus cupreus antennis baſi rubris. *Linn. Fabr.*

I. a. n. 126.

Degeer Inf. IV. tab. 3. fig. 15.

Habitat ſub lapidibus, in campis frequens. Ca-
put viridi — aeneum nitidum ore palpique fulcīs.
Antennarum primus articulus succineus et ſicut reli-
qui fetis armatus. Thorax aeneus, canaliculatus,
rotundatus marginē prominulo obtuso. Elytra ae-
neo — viridia, ſtriata ſingulis tribus punctis longi-
tudinalibus impressis marginēque punctato. Abdo-
men nigro — virescens. Pedes picei. Huncce Ca-
rabum affinem C. caeruleſcentis eſſe non dubito.

A 4.

Ante

Ante aliquot tempus mihi hunc Carabum apud nos
minime rarum deprehendere obtigit, et quum odore
admodum balsameo incitarer, venit mihi in men-
tem, digitis, quibus insectum prehenderam, cario-
sum meum dentem molarem, qui tum valde dole-
bat, vna cum gingiva tangere. Quod simulac fe-
ceram statim gratum sensi levamen, nec multo post
dolor penitus ita recessit, ut octo jam hebdomati-
bus praeteritis nihil perceperim doloris. Pergrata
mihi fuit haec experientia, nec phantasiae lusum
fuisse credo, propterea quod itidem in femina
quadam cavati dentis dolor extemplo sedabatur,
posteaquam dentem digitis attigeram, muliere ni-
hil dum suspicante, me velle curationem adhibere.
Ufus eram jam antea eo remedio, quod commen-
dat *Hirsch in Practischen Bemerkungen über die*
Zähne und einige Krankheiten derselben. Iena
1796. 8. pag. 34. atque in cavatum dentem Cam-
phoram et Naphtham Vitrioli ingesseram, quae ta-
men dens meus aeger graviter tulit. Liquor vero
dicti Carabi in primis aptus videtur, ad molliendos
den-

dentium nervos eosque ita durandos, vt rheumaticis aliisque acutis et corruptis humoribus nihil afficiantur.

§. 9.

Ex his narratis adparet, hunc graviter olentem et interdum acute stimulantem humorem Carabis proprium haud indignum esse, qui bene attendatur. Carabus crepitans exhalat e. g. odorem subacidum & Carabus Sycophanta valde corium olet, quod vocant *Iuchten*. *Forster* quum 1772 satis grandem Carabum in promontorio B. Sp. captum acu tabulae affigere vellet, guttula peracuti humoris oculi ejus adspersi sunt, qui tam vehementer incendebantur, vt vereretur ne lumina amitteret, dolore quidem ita crescente, ut fere mentis suae non esset compos. Qui tandem dolor tandem recessit. Vide *Patterson Reisen. Berlin* 1790. 8. pag. 164. Fortasse alter quidam *Störkius* nos docet aliquando, qua ratione hi animalium acuti liquores hominibus vtiles reddi possint, vt iis in posterum aequa commode,

A 5

quam

quam nunc venenis vegetabilium periculosisimis,
vtamur.

§. 10.

Coccinella septempunctata Fabr.

C. coleoptris rubris: punctis nigris septem. Linn.
Fabr. I. a. n. 41.

Iablonsky Natursystem V. Tab. 57. fig. 8.

Habitat in plantis frequentissime. Caput nigrum, fronte punctis duobis albis. Thorax niger, vtrinque ad latera albus. Elytra rubra, in singulo puncta tria nigra in triangulum posita; at ad basin elytrorum punctum vtraque elytra conjungens nigrum antice album. Antennae minimae clavatae. Animal subtus atrum. Larva cinerea, maculis nigris & albis adpersa. Puppa lutea, maculis nigris & quasi deusta, ano adfixa. Hoc inter domesticas Coccinellas maximum insectum nuper Ilmenauensis ille sat notus medicus & auctor ceu probatissimum remedium doloris dentium commendavit. Vid. *Intelligenzbl. d. Allg. Lit. Zeit.* 1798. N. 119. pag.

962

992. & Journal der Erfindungen Theorie u. Widersprüche in der Natur- u. Arzneiwissenschaft.

St. 145. pag. 135. In curatione idem adhibetur modus, quem jam supra in Carabo cupreo narravimus.

§. II.

Lytta vesicatoria Fabr.

L. viridis antennis nigris. Fabr. I. 6. n. 1.

Panzer Ent. Taschenb. 1795. Tab. V.

Meloë vesicatorius Linn. Cantharis Offic.

Habitat in Ligustri & Rosarum foliis. Caput exsertum, ovatum, thorace latius canaliculatum. Antennae filiformes, articulis aequalibus, subcylindricis, primo crassiori, secundo brevissimo, ultimo setaceo. Thorax subcylindricus, laevis, tuberculatus, immarginatus. Scutellum minutum. Elytra molliuscula, fornicata, linearia, obtusa, glabra, nitida, vix striata, longitudine abdominis. Abdomen oblongum, glabriuscum, annulis novem imbricatis. Variat admodum magnitudine & colore

lore magis minusve viridi-aurato. Hoc notatu dignissimum Insectum, in quo^d *Forsten in Cantharidum historia naturali chemica et medica* *Lugd. Bat.* 1775. sedulo inquisivit, multum continet salis alcalini volatilis, quare quoque habet et admodum ingratum odorem et saporem peracutum. Sunt, qui credant, ex minutissimis et nudi oculi obtutum effugientibus villis hujus animalculi stimulantei ejus naturam maximam partem provenire, id quod mihi tamen dubium videtur, qui potius praeter acidum Cartheuseri aliam quamdam; huc usque ignotam, cum dicto sale conjunctam partem essentiale in subsidium vocare non dubitarem, quippe quin constet, neque elytra, neque caput, neque pedes tanta esse efficacia, quanta est abdomen. Notatu dignum quoque est, quod *van Swieten in Comment. in Boerhaac. Tom. I. pag. 677.* narrat, hacc nimirum infecta tricesimo anno post adhuc effectus producere plenos. Etsi complures et veterum et recentium medicorum hoc medicamento nimis large utuntur, et *Groeneveld* ab ejus usu
erol in

in *Diff. de tuto Cantharidum usu Lond.* 1698.
nihil timere videtur, teste tamen experientia re-
centissima in adhibendo hoc medicinae vehemen-
tissimo diuretico summa opus est cautione. Vti-
que *Moench* quidem in ejus *systematischen Lehre*
von den Arzneimitteln, *Marb.* 1789. pag. 170.
insectorum corpora ipsa Tincturis praefert, sed
Gesenius in *Handbuch der practischen Heilmit-
tellehre*, *Stendal* 1791. pag. 168. rectius affirmat,
interne Canthrides tuto posse adhiberi nondum
satis esse probatum, et minimam portionem nimis
esse vehementem. *Carradori* in *Brugnatelli*
Giornale fisico-medico, *Pavia* 1794. III. n. 13.
commemorat dentes cariosos, quum dolent, his
infectis tantummodo esse tangendos. Nec ignota
sunt emplastra vesicatoria, quae proh dolor! etiam
nunc non ea, qua par est, cautione adhibentur.
Nonne enim teste experientia in morbis biliofis
hocce stimulans periculosam acrimoniam latius per
corpus diffundit? Nonne vehemens motus sanguini-
nis magis magisque augetur? Nonne in febribus
biliofis

bilioſis hoc emplastro irritatae partes corporis facile in Sphacelum abeunt? Conf. *Versuch den sichern Gebrauch der spanischen Fliegen oder Blasenpflaster näher zu bestimmen.* Leipzig. 1793.

8.— „Die Canthariden haben das eigene, inquit *Gesenius* l. c. pap. 200. dass sie selbst auf die Oberfläche des Körpers gebracht, die besondere spezifische Wirkung auf die Harnwege äussern, die ihnen innerlich genommen in so sehr hohem Grade eigenthümlich ist.“ Hae dictae proprietates num plane sint inexplicabiles? *Malpighi* et *Bonnet* villos plantarum scimus habuisse provasis imbibentibus; quam quidem argutam conjecturam nuper *Schränk* in libello *Von den Nebengefäßen der Pflanzen*, Halle 1794. 8. pag. 61. tam geometricis quam analogicis argumentis redidit certam et explorataam. Quin etiam haec vasa coni similia ad imbibendum quam maxime apta esse ostendit, atque plantarum ita formatos pilos circumvolitantes humores non solum fugere sed nimis cupide haurire. Qui villi, quuin non solum

ex

ex tela mucosa s. cellulosa oriantur, sed ipsius
hujus telae pars sint, sequitur; vt, quos villi inibi-
berint humores, ei primum in telam illam et inde
demum in vera vasa penetrant. Nonne plus quam
verisimile est, eodem modo et homines et bruta
coniformibus his per totum corpus disseminatis
pilis inspirare? Vaporum eorumque admodum
crassorum inspiratio per cutem a Physiologis dudum
probata est, attamen epidermis corio similis est
nec aquam transmitit, per quam membranam
bulbis in mucosa parte fixis, erumpunt villi for-
ma conica ideoque ad inbibendum aptissima pree-
dicti. Nonne et in humano corpore aequa atque
in plantis hi villi cum mucosa parte cutis, atque
illa rursus cum vasis quam arctissime cohaerent?
Vere igitur nostri pili conductores nominantur,
qui et alcalinos humores Cantharidum in corpus
transmittunt, et tantum hac via, hoc stimulans,
quum vesicatoriis utimur, cum sanguine nostro
communicatur.

Mylabris Cichorei Fabr.

M. nigra elytris flavis, fasciis tribus nigris Linn.

Fabr. I. b. num. 2.

Linnaei Amoenit. Acad. V. tab. 3. fig. 188.

Habitat in toto Oriente, Gallia australi, China, Capite B. Sp. Caput inflexum, nigrum, pilosum. Antennae clavatae, nigrae, thorace longiores, moniliformes. Thorax teretiusculus, niger, pilis hirtus. Elytra oblonga admodum, flava fasciis tribus nigris, vel loco fasciarum vtrinque punctis duobis magnis nigris in singulo elytro, triplici ordine transversali digestis. Abdomen et pedes nigri. Hoc notabile Insectum, quod *Dioscorides* in *Mat. Med. L. II. Cap. 65.* nomine *Canth. vesicatoria* describit, et *Hasselquist* *Chrysomelam Cychorei* nominat, multas habet cum *Lytta vesicatoria* vires communes atque hoc respectu jam dudum fuit cognitum. Graeci nominis medici saepe illud praescriperunt et *Hippocrates* in *Hydrope tanquam specificum commendat. In China* hoc

hoc infectum abundat et vbi vis loco vesicatorii adhibetur. Quod tamen medicamentum quum interne sumtum producat cruentum lotium et stranguriam, non nisi summa cum cautione adhiberi debet.

§. 13.

Trichius octopunctatus Fabr.

Tr. niger thorace vtrinque puncto baseos elytrisque duobus flavis. *Fabr. I. b. num. 3.*

Panzer Fauna germ. XLI. tab. 14.

Scarabaeus variabilis Linn.

Habitat in Germaniae, Sueciae et Sibiriae quercubus et in acervis formicarum. Corpus atrum puncto flavo vtrinque ad basin thoracis obouati. Etsi numerus punctorum in elytris inconstans, tamen saepissime puncta gemina interiorē minutissimo. Punctum oblongum vtrinque in ultimo abdominis segmento. Statura et magnitudo Trichii nobilis. Nonnulli medici, inter quos *Spielenberg* eminet in *Commercio lit.*

B

Nor-

Norimb. 1735. pag. 83. Lyttam vesicatoriam contra morsum furiosi canis commendarunt, cui passim hoc insectum utiliter substitutum dicitur. Et *Mönch l. c. pag. 169* affirmat, in Hassia Scarabaeum variabilem *Linn.* canibus dari solere, si quando a furiosis morbi sunt. Interim quas habeat fortasse vires adhuc dubium est, quae quidem ex eo, quod sensibus animadvertere licet, parum divinantur.

§. 14.

Cerambyx moschatus Fabr.

C. thorace spinoso viridis nitens antennis mediocribus cyaneis. *Rabr. I. b. n. 1.*

Sulzer Kennz. d. Insecten Tab. IV. fig. E.

Habitat in Salicibus. Antennae vix longitudinem corporis attingunt, harum articuli per gradus versus extremitatem breviores sunt, contrario ac in reliquis modo. Thorax utrinque mucrone gaudet, intra hos mucrones tria tubercula paulo minora, elytris propiora, et nonnulla alia tubercula adhuc minora anterius. Elytra minutissimis rugis, fibrisque tribus longitudinalibus parum elevatis notata, oblongo-

oblongo-lanceolata, flexilia. Alae nigrae. Abdomen supra caeruleum. Totus caeruleo-viridis auro nitens. Variat autem colore rubro-aeneo. Hoc Insectum, quod odorem non ingratum Anethi similem et soporiferum spargit, ut Cantharidibus surrogetur, jam jam nonnulli medici e. g. Drury et etiam Löseke in *Abhandlung von auserlesenen Arzneimitteln. Herausgegeb. v. Gmelin, Berlin und Stettin 1790 pag. 256.* auctores fuere. Ab odore hoc, qui mortuo infecto abit, non raro in flagrantibus aestatis diebus caput dolet iis, qui sensibus sunt nimium delicatis, Vide Meyer *Naturgeschichte giftiger Insekten, Göttingen 1782.* 8. pag. 86. Varia cum hoc Cerambyce instituta experimenta non tantas quidem probant his animalibus inesse vires, quantas habent Cantharides, neque tamen ideo penitus ea, prout huc usque factum est, esse negligenda.

§. 15.

Brachycerus odontalgicus.

Curculio odontalgicus Gerbi. Hoc insectum mihi hucusque non nisi ex imperfectis relationibus

B 2

eius

ejus scripti, quod *Ranieri Gerbi* Fiorenzae 1794.
8. edidit sub titulo: *Storia naturale di un nuovo
insetto*, innotuit. Quantum ex prodita antennarum conditione judicare licet, pertinet hoc animalculum potius ad genus *Brachycerus* *Fabricii*. Vivit in Italia superiore in planta quadam, quam vocat *Gerbi Carduum spinosissimum*. Vehementissimos dentium dolores dicitur sedare. Nam quindecim larvis aut insectis perfectis, ut primum sunt exclusi, inter pollicem et digitum indicem obtritis, si digitiliter inter se se tamdiu fricantur, donec humor exaruerit, et si his digitis dentes aegri, qui cavi sunt, tanguntur: dolor interdum extemplo quietus, quam tamen vim digitum, quotiescumque laverunt, aut ad alias res adhibeantur, plenum annum conservant. Ex 624 experimentis 401 feliciter et prospere evenere; inter quos casus bini fuerunt, in quibus cavi dentes ex indole humorum orti erant, in reliquis tantum topici fuerunt. Quodsi gingiva inflammatata est, nihil opis in hoc remedio invenitur. In chemica exploratione vestigia Salis culinaris detecta esse,

esse, ut in destillatione arida, maximo adhibito
æstu, paululum volatilis Alcali provenisse ajunt.
Praeter haec inveniebatur gelata et sebi similis mate-
ria residua. Caeterum hoc insecto putat *Gerbi*
effectus puris in dente cavo tolli posse.

§. 16.

Attelabus Bacchus Fabr.

A. aureus rostro plantisque nigris *Fabr. I. b. n. 15.*

Panzer Fauna Insect. XX. n. 5.

Curculio Bacchus Linn. *Involvulus Bacchus Schrank.* Habitat in Betula, Corylo, Vite. Caput aureo-purpurascens, punctulatum, pilis brevioribus erectis griseis; rostrum elytrorum fere longitudine rectum, cylindricum, apice vix incrassato, nigruum; antennae nigrae, longitudine rostri, oculi fusi. Thorax aureo-purpurascens, nitidissimus, pilis rarioribus erectis griseis, punctulatus, semper muticus, subcylindricus, lineola longitudinali nulla. Scutellum minutum, concolor. Elytra thorace duplo fere latiora et dimidio longiora, aureo-purpurascentia, nitidissima, subquadrata, subtili-

sime temere punctulata, depresso-
scuta, obtusa, pi-
lis rarioribus erectis griseis. Alae longiores, fus-
cescentes. Sternum et abdomen aureo-purpuras-
centia. Pedes aureo-purpurascens, femora mu-
tica, tarsi nigri. Femina semper minus purpuras-
cens. Teste *Gerbi* hic Attelabus ideo notabilis est,
quod in Italia superiore pro remedio doloris den-
tium haud dubio habetur.

§. 17.

Curculio Iaceae Fabr.

C. longirostris niger cinereo-irroratus elytris puncto
baseos distincto, *Fabr. I. b. n. 24.*

Panzer Fauna Insect. 18. n. 2.

Habitat in Carduo lanceolato et nutante. Ro-
strum crassiusculum, cylindricum, nigrum. Tho-
rax ovatus, niger, cinereo-irroratus. Elytra ni-
gra atomis cinereis villosis adpersa et puncto di-
stincto baseos versus scutellum. Aetate magis gla-
ber et niger evadit, ut specimina ab Herbstio depicta
satis superque monstrant. *Gerbi* et hunc curculio-
nem refert ad suis civibus sat nota medicamenta

con-

contra dentium dolores. De grata hujus insecti delineatione Panzeri l. c. graves scrupuli moti sunt in *Ien. Allg. Lit. Zeit.* 1786. n. 97. pag. 770.

§. 18.

Meloë Proscarabaeus Fabr.

M. corpore violaceo *Fabr. I. b. n. 1.*

Panzer Fauna Insect. 10. n. 12.

Cantharis vinctuosa *Officin.* Habitat ad margines agrorum et in collibus soli expositis mense Majo. Totum animal molle et atrum; pedes, antennae, abdomen paulo magis violacea. Elytra coriacea, mollia, rugosa, minime nitida. Antennae moniliformes; in femina abdomen elytris longius. Alae nullae. Vinctuosum s. vinctuarium a quibusdam nuncupatur, quia tactum vel manu captum animal oleum limpidissimum flavicans e poris praesertim pedum geniculis exsudat. Mas femina triplo minor. Hoc insectum minus dubium, quod *Frisch* ad vermes referre voluit, jam centum ante annis contra Hydrophobiam eximie commendatum, atque ut narrant *Ephem. med. phys.* 1681. Obs. 302.

jam jam vtiliter adhibitum est. „Domina a Stange in Wagnitz dedit nempe duos vermes majales sine capite duobus pueris demorsis a cane rabido. Sed male sese habuere exinde, ita vt mortem instare putaretur. Postquam autem sanguinem minxerunt, intra aliquot horas restituti sunt. Filia ejus dedit ancillae, cui canes multa vulnera morsibus influxere, cum magno commodo.“ Postea vero, ceu infectum medicinale, oblivioni datum est, fortasse eam ob caussam, quod denominationes officinales *Vermis majalis* et *Scarabaeus majalis communis* occasionem dederunt, vt cum Melolontha vulgari *Fabr.* permuteatur. Ipse *Degner* laudat effectum specificum et salutare Melolontharum in morsu canis rabidi in *Actis Nat. Curios. Vol. VI. Norimb. 1742. 4. pag. 325.* ibidemque affirmat pag. 326 his verbis: „Praediti videntur vi diuretica generali cantharidum instar, mitius tamen, et non solum tutius his operantur, sed et specifica quadam energia dotati sunt, ad extinguendum et expellendum venenum illud animale rabiosum, teste experientia

rientia multiplici, iterata.“ Deinde, cognito errore, illae feliciter cum Melolontha vulgari institutae curationes ex nimia vulnerum purulentia derivabantur. Tandem 1776 in Silesia agricola quidam mysticis suis curationibus, quas feliciter in morsu canum rabidorum peregerat, tantam concitavit expectationem, vt Borussorum Rex *Friedericus II.* famoso illo arcano emto, per Collegium Medicum Berolinense insectum Meloe Proscarabaeum tanquam remedium antilysum specificum publice indicari juberet. Qua de re in *Schaefferi Abbildung und Beschreibung des Maienwurm-Kaefers. Regensburg. 1778. pag. 11.* copiose erudimur. Verum enim vero, quamquam a nonnullis doctis viris v. c. Fritsch, Ungnad, Kemme, Dehne, Beireis et Selle hoc insigne insectum vt probatissima medicina ad sanandam Hydrophobiam celebratur; Plurimi tamen medici eo consilio laudata medicamenta vegetabilia praeferunt, alii vero illud omnino non curant amplius, quare quoque Moench in *Lehre von den Arzneimitteln* hujus animalis ne mentio-

neim quidem fecit. At quoniam hoc insectum dare admodum efficax Sudoriferum et Diureticum exploratum est, *Gesenius* in *Handbuch der Arzneimittellehre* pag. 660. persapienter judicat, quum ait: „*Da dies Mittel schon in vorigen Zeiten, wo man sich noch nicht so genau, als jetzt, um eine gute Behandlung der Wunde selbst bekümmerte, in grossem Ansehn gestanden hat: so muss dies um so billiger uuf seine Heilkraefte aufmerksam machen.*“ Caeterum hoc insectum caute dari debere vel inde apparent, quod medici experientia edocti ejus vsu et dolores in viis vrinariis et lotium cruentum facile excitari commemorant.

§. 19.

Meloe majalis Fabr.

M. segmentis dorsalibus abdominis rubris *Linn.*

Fabr. I. b. n. 2.

Panzer Fauna germ. X. tab. 13.

Habitat in graminosis nostris rarius. Affinis quidem praecedenti, sed minor et segmentis rubris distinctus. Tactus etiam oleum limpidissimum ex-
omni-

omnibus pedum geniculis emittit, quod in remedio
antylisso Berolinensi tanquam medicina certissima et
forsitan unica ad Hydrophobia in a morsu canis rabi-
di oriri solitam averruncandam celebratur. Dictum
humorem quum infecta vel levissimo tactu amittant,
digitis, sed vel ope bacillorum vel forcipe, caute-
tamen ne lacerentur, prehendi et in vas immitti
debent. Tum capite prius abscisso, in melle
conduntur, quod insitam acrimoniam paulu-
lum minuit.

§. 20.

Formica rufa Fabr.

F. nigra thorace compresso pedibusque ferrugineis.

Fabr. II. n. 8.

Degeer Ins. tab. 41. fig. 1. 2.

Habitat ubique in sylvis, acervos e foliolis ace-
rosis exstruens. Caput nigricans. Abdomen ma-
ris segmentis sex, feminae segmentis quatuor, pri-
mo antice ferrugineo. Tharax feminae ferrugi-
neus dorso fusco. Squama integerina ferruginea,
acuminata. Horum insectorum acris et vehemens
odor

odor oritur ex iis proprio illo humore, qui nomine
Acidi Formicarum sat notus est, quo nec ullum
aliud animal tanta copia praeditum est. Paratur
hoc acidum destillatione tam sicca, quam humida,
immo quum aqua fervida perfunduntur, aut tan-
tummodo exprimuntur. Caeterum hic aceto proxi-
me accedens acor volatilis est, ingratique saporis et
igne destruitur, atque ex chemicis principiis vui-
cam continet rationem, quare color caeruleus flo-
rum myrmeciis obrutorum, in rubrum mutatur. Li-
cet vero formicis, in quibus procul dubio medici-
na admodum stimulans ineft, recentiores medici-
parum tribuere videntur, tamen clarissimi Aucto-
res *Dispensatorii Pharmaceutici Brunsvicensis*
1777. pag. 231. Spiritum et pag. 283. Oleum
formicarum receperunt. Denique ovula vel potius
larvas formicarum cum adultis insectis eandem ha-
bere efficaciam experientia docuit, atque in pinetis
habitantes iis hujus generis esse preferendas, quae
in pratis inveniuntur.

§. 21.

§. 21.

Oniscus Asellus Fabr.

O. cauda obtusa, stylis duobus simplicibus. *Linn.*

Fabr. II. n. 3.

Panzer Fauna Germ. IX. tab. 21.

Asellus s. Millepeda *Officin.* Habitat in cellis, muris humentibus et sub lapidibus. Corpus griseum, ovatum, submarginatum, glabrum. Caput planum. Antennae breviusculae, distantes. Segmenta corporis novem, transversa, utrinque prominula, tria postica acutiuscula. Anus bifistylatus. Pedes 14 breves, curforii. Hoc jam a Dioscoride pro medicinali habitum insectum, est ingrati odoris pariter atque saporis acuti et nauseam excitantis. Chemice explorata haec animalcula continent spiritum vinosum, oleum empyreumaticum et paululum aridi volatilisque salis alcalini. Quae partium mixtura his infectis propria ea reddit apta ad glutinosos humores in corpore humano resolvendos et per vias vrinarias deducendos. Ideoque compluribus medicis, a *Cartheuser et Henninger in Diff. de Mil-*
lepe-

lepedibus Argent. 1711. 4. tam in morbis pituitosis, quam in Hydrope celebratur hoc insectum, et praeterea Lithiasī magno usui esse dicitur. Interim quoniam, quod probe notandum, exsiccata fere omnes vires amittunt, tantum recentibus insectis utendum est, quanquam consilium, viva deglutire, in praxi haud raro non parum crederim habere difficultatis.

§. 22.

Haec sunt, me quidem judice, Insectorum Medicinalium notatu dignissima, quorum vires salutiferae ut sedulo attendantur, jure merentur. Iam coronidis loco quaedam brevi recensebo insecta, in quibus ut maxime laudibus celebrentur, tamen non admodum magnas suspicor virtutes, nec quae ita sunt comparata, quin facile validioribus possint compensari. Oculi sic dicti seu lapides cancrorum olim propter vim adstringentem multum auctoritas habuere, quorum vires medicinales *Roberg, Alberti, Kirsten es Graef* celebrarunt, atque adeo *Moench et Gesenius* eos catalogis suis adjecerunt.

Aestate

Aestate invenimus haec corpuscula, quae interdum ex creta foede effinguntur, ad vtrquinque latus stomachi

Astaci Fluvialis Fabr. II. n. 2.

Constant autem calce et glutine animali, qua materia nova et mollis cancri testa indurescere dicuntur. Propter has partes essentiales his corporibus adstringendi vis denegari nequit, et si hoc habeant incommodi, ut difficulter dissolvantur, et per acrimoniam et pituitam visceribus insitam facile in Gypso similem massam coëant, quae haud facile dissipatur. Eorum in locum hodie felicius et maiore cum utilitate substituimus Magnesiam salis amari, satis notam terram, sine pondere et sapore, quae ut ipsa nullo labore solvitur, sic cum acridinibus conjuncta bonum dat et sine labore solubile sal medium. Confer Schaefer *Diff. de Magnesia Argent.* 1774. 4. Atque idem mihi judicandum videtur de chelis cancerorum marinorum seu

Cancri paguri Fabr. II. n. 49.
qui habitat in mari germanico.

§. 23.

§. 23.

Denique Illstr. *Forster* in *Enchiridio Historiae naturali inserviente Halae 1788. 8. pag. 143.* nonnulla commenorat infecta, quae propter usum medicinalem nota dicuntur. v. g.

Coccum Casti *Fabr. IV. n. 26.*

quem Diureticis adnumerat. Loco hujus Coccinellae officinalis, qua Electuarium, Syrupus et Tinctura paratur, commendat *Moench* l. c. pag. 172. rectius *Oniscum Asellum*. Eodem loco *Forster* comprobat a nonnullis laudataim vim adstringentem et roboreantem.

Cocci Ilicis *Fabr. IV. n. 6.*

Porro etiam a quibusdam scriptoribus oleum

Scorpionis europaei *Fabr. II. n. 5.*

feu Oleum olivarum in quo Scórpio mortuus est, contra morbum viperarum aliorumque animalium venenatorum, vt tantum oleum Oleae europeae *Linn.* absque illo infecto non minus efficax est, atque ex indole et natura sua esse debet.

Con-

*Conspectus Systematicus Insectorum
Medicinalium.*

I. Eleuterata.

Maxilla nuda, libera.

1) *Carabus.* Palpi sex: articulo vltimo obtuso.

Labium truncatum, intregrnm.

§. 7. *C. chrysocephalus Roffii.* Goldköpfiger Laufkaefer.

§. 8. *C. cupreus.* Kupferfarbiger Laufkaefer.

2) *Coccinella.* Palpi antici securiformes, postici filiformes. Labium cylindricum.

§. 10. *C. septempunctata.* Siebenpunctirter Sonnenkaefer.

3) *Lytta.* Palpi inaequales: postici clavati. Maxilla bifida. Labium membranaceum, truncatum.

§. 11. *L. vesicatoria.* Gemeiner Blasenkaefer.

C

4) *My-*

4) *Mylabris*. Palpi inaequales, filiformes. Maxilla cornea, apice bifida. Labium subemarginatum.

§. 12. *M. Cichorei*. Blasenziehender Fliegen-
kaefer.

5) *Trichius*. Palpi quatuor filiformes. Maxilla bifida.

§. 13. *Tr. ostopuntatus*. Achtpunctirter Dol-
denkaefer.

6) *Cerambyx*. Palpi aequales, filiformes: articulo ultimo setateo. Maxilla vnidentata. La-
bium bifidum.

§. 14. *C. mochatus*. Bisam-Bockkaefer.

7) *Brachycerus*. Palpi quatuor brevissimi. Labium corneum, rotundatum. Antennae extrorsum crassiores.

§. 15. *Br. odontalgicus*. Medicinischer Kurz-
hornkaefer.

8) *Attelabus*. Rostrum elongatum, incurvum.
Maxilla bifida. Antennae extrorsum cras-
siores.

§. 16.

§. 16. *A. Baechus.* Purpurfarbiger Afterrüssel-
kaefer.

9) *Curculio.* Maxilla vnidentata. Antennae clava
solida: articulo secundo longissimo.

§. 17. *C. Iaceae.* Flockenblumen - Rüssel-
kaefer.

10) *Meloe.* Palpi inaequales, filiformes. Maxilla
recta, bifida, Labium cylindricum, late
emarginatum.

§. 18. *M. proscarabaeus.* Medicinischer Mai-
wurimkaefer.

§. 19. *M. majalis.* After-Maiwurimkaefer.

II. *Piezata.*

Palpi quatuor, maxilla cornea, compressa,
faepe elongata.

11) *Formica.* Palpi inaequales: articulis cylin-
dricis. Labium submembranaceum, cylin-
dricum, apice palpigerum.

§. 20. *F. rufa.* Rothe Ameise.

III. Mitofata.

Palpi duo. Maxilla filiformis, membranacea.

- 12) *Oniscus.* Maxilla truncata, denticulata. Labium bifidum.

§. 21. *O. Asellus.* Medicinischer Assel.

IV. Unogata.

Palpi duo porrecti. Maxilla cornea, vnguiculata.

- 13) *Scorpio.* Palpi cheliferi. Labium bifidum.

§. 23. *Sc. europaeus.* Medicinischer Scorpion.

V. Agonata.

- 14) *Cancer.* Antennae quatuor filiformes: articulo ultimo bifido.

§. 22. *C. Pagurus.* Gemeiner Taschenkrebs.

- 15) *Astacus.* Antennae quatuor pedunculatae: anticae elongatae, setaceae, posticae fissaee.

§. 22. *A. fluviatilis.* Gemeiner Flusskrebs.


VI.

VI. R y n g o t a.

16) *Coccus*. Seta vaginaque pectoralis. Antennae
filiformes.

§. 23. *C. Caði*. Americanische Cochenille.

§. 23. *C. Ilicis*. Eichen-Cochenille



5

Purpurfarbiger Afterrüssel.

nidentata. Antennae clava
undo longissimo.

Flockenblumen - Rüssel-

uales, filiformes. Maxilla
labium cylindricum, late

baeus. Medicinischer Mai-

After - Maiwurmkäfer.

ie zat a.

axilla cornea, compressa,

inaequales: articulis cylin-
submembranaceum, cylin-
spigerum.

othe Ameise.

C 2

III.